

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
NOTIS
HAEMORRHAGIAS
PRAESAGIENTIBVS

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

ET
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINA ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIMO MODO IMPETRANDIS,
AD D. XXV. IVNII A. S. R. CICCIOL.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES CONRADVS LVTGERT
RAVENSEBERGA - GVESTPHALVS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

D^{icitur}
DISSERTATIO IN AGRICULTA MEDICOY
DE
NOTIS
HAE MORE RAGIAS
PRAESAGIENTIBAS

BYVNI NAMINIS AVTHORIS
CRAEGOS MEDICOY ORDINES CONSILIA
ET PRAEVIDE
ALIO UTRASTI EXCELLENTISSIMO ET EXCELESTISSIMO
D. ANDREA ETIA BUCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NORITI
POTENTISSIMO PRAESSAE REGI A CONSILIIS INTIMIS
MEDICINA ET PHYSIQUE MATARIAE THERAPIÆ ET ORDINARIO
IMPRESORIS AGABEW NATALY ORTICORI PRAESSIBUS
ET COMITIS TAFEL QUERENDO

LUDO GRADY DOCTORIS
SUMMISAE IN MEDICOY HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
TESTIMONIO MODO IMPREBENDI
AD D. XXX IANUÆ A.D. M. C. CLXXXII
IN ALIA REEDIC TANDARDIANA
FESTIVIS PRAESENT
AUTOR
JOANNES CONRADUS LATGERT
KAGNSZERG-A-CETPHALIA
HALAE MAGDEBVRG. ET LOND. BENDETTIENS.



DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA
DE
NOTIS HAEMORRHAGIAS
PRAESAGIENTIBVS.

PROOEMIVM.



Legenti mihi nuperrime atque mecum consideranti illa CAELII AVRELIANI, veterum Methodicorum eruditissimi, verba: *sanguinis fluor*, dicentis *), occultis ex locis veniens, velut saepe salu-

A 2 tari s

*) Tardarum passionum Libr. II. Cap. IX.

*taris est, ita vehemens ingerit periculum,
quibusdam extemplo, ob redundantiam fluo-
ris celerans mortem, corpore disiecto: qui-
busdam in postremum effecta pbthisica pas-
sione, vulnera non coeunte: visus sum ipse
aliquid, quod esset laboris pretium lectu-
risque haud infructuosum, facturus, si, praes-
enti differendi opportunitate usus, eius-
modi quantulacunque meae scientiae me-
dicae specimen ederem solemne, quod
ipsos hos varii atque diversi loci eventus
sanguinolentos, ut ita loqui liceat, mox fa-
lutem adferentes, mox mortem, ita per-
tractaret, ut ex suis ipsi notis praecipi co-
gitatione possint, distincteque prae nosci.
Cuius me instituti operis neque nunc poe-
nit, neque unquam erit pertaefsum;
quandoquidem certum habeo atque iudi-
catum, ad amplitudinem existimationem-
que Medici, artem facientis suam, nihil
aeque interesset, ac ipsam accurate exquisi-
tam variorum in morbis eventuum futu-
rorum praesignificationem. Atqui, si ego
huius sententiae fidem vobis non fecero,
lectores, ne pigeat vos ipsum audire HIP-
POCRAT-*

POCRATEM, testem profecto longe amplissima apud omnes valentem auctoritate. Nempe is, praenotionum medicarum rationes expositurus: *operae pretium, prae-*
*fatur *), mibi facturus Medicus videtur, si*
ad providentiam sibi comparandam omne
studium adhibeat. Quum namque praesen-
serit & praedixerit apud aegrotos, tum
praesentia, tum praeterita, tum futura,
quaeque aegri omittunt, exposuerit, res
utique aegrotantium magis agnoscere cre-
detur, adeo ut maiore cum fiducia fesse ho-
mines medico committere audeant. Curan-
di vero rationem optime molietur, si ex
praesentibus affectionibus futura praenove-
rit. Hac enim ratione merito sibi admis-
tionem & boni Medici existimationem
conciliaverit. Praeter haec vero singula-
ris materia, quam in praesenti pleni-
us explicare instituo, vel ideo curatio-
rem meretur animadversionem, eoque no-
mine lectoribus oportet non esse ingra-
tam, quod plurimorum morborum, prae-

A 3 fiftim

*) *Praenotionum Libr. in Opp. omn. Tom. I. pag. 36.*
Edit. FOESII, Genevae, 1657. in Fol.

sextim acutorum, iudicationes, (*excorias* Graeci vocant,) solutionesque varii generis haemorrhagiis perficiuntur. Ex quo simul patet, quam praecipuum huius argumenti pertractatio fructum allatura sit illis, qui in dignoscendis morborum periodis eventibusque operam navant. Quum vero sine explicata modi, quo in corpore humano sanguinis profluvia sunt, notitia notae quoque eorundem proxime imminentium vix, ac ne vix quidem, exprimi possint: sua sponte omnis haec commentatio in duas discedit *partes*: quarum altera, ea que *prior*, de ipsa, qua sanguinei fluores, e corpore elabentes, contingunt, ratione breviter atque generatim exponet; altera vero *posteriorque* singulas deinde futurum haemorrhagiarum notas speciatim persequetur. Cui qualicunque labori academico benignum propitiumque DEVM ante omnia precatus, de reliquo benevolentiam lectorum non plane defuturam spero.

CAPVT





7

C A P V T I.
DE MODO,
QVO SANGVINIS PROFLUVIA IN COR-
PORE HVMANO FIVNT.

§. I.

Quum aperta confidere demonstratione
mihi sit animus, quibusnam signis im-
minentia in corpore humano sanguinis
profluvia declarentur Medico attento:
id video laboris antea esse insumen-
dum, quam perspicua ipsae huiusc generis notae
exponi possunt explanatione, ut, quotuplices e suis
canalibus erumpendi sanguis habeat rationes, bre-
vi quadam atque recita enodem pertractatione.
Quodsi enim verum est, ut est profecto, quemad-
modum primae Philosophiae, quibuslibet scientiis
firmandis idoneae, doctores luculenter ostendunt,
quicquid est signorum, universim sumtorum, ex
ipsa cum effectarum rerum, tum efficientis suffici-
entisque caussae cognitione, velut ex fonte, deri-
vari oportere; quoniam omnem effectum ipsa eius-
dem ratio sufficiens designat, hanc vero e contra-
rio effectus declarat ^{a)}: efficitur exinde, ut de no-
tis, futuras haemorrhagias in corpore nostro praef-
significantibus, impraesentiarum disputaturus, de
ipfis

^{a)} Conferatur Per illustris quondam Academiae nostrae Can-
cellarii, Christiani L. B. a WOLF Ontologia latina, §. 961.

8. *Dissertatio inauguralis medica,*

ipſis illis rationibus, quoad quidem ſenſibus perci-
pi animadvertique poſſunt, quae aut proxime ſan-
guineos efficiunt fluores, aut faltem propiores ha-
emorrhagiarum cauſas producunt, nonnulla iu-
bear praefari.

§. II.

Verum enim vero quām *haemorrhagiae* vo-
bulo tam apud veteres, quam apud recentiores ar-
tis medicae ſcriptores multae ſint in varium atque
alienum migrationes, eiusdemque virtus mox ar-
ēata deprehendatur, mox vero ampliata atque di-
ducta: & lectorum intereffe ratus ſum, & mea, ut
quae conſpicua corporis noſtri mutatio in praefenti
commentatione haemorrhagiae voci ſit ſubiecta,
breviſſime expeditatur. Scilicet, quoniam protinus
in evolvendis variorum ſingularium ſanguinis fluo-
rum notis inſimendus eſt labor, ut in genere ſtatim
intelligant lectores, quid rei nunc a me exſpectari
poſſit, ad definite ſignificandum *quodcunq; ſanguini-*
nis proſluvium haemorrhagiae uſus ſum voce, am-
pliorem adeo, aut, quod vulgo dicunt, latiorem ha-
bente ſignificationem. Namque, ſi Graecos con-
ſuleris, huius vocabuli auētores, veram propriam-
que eiusdem virtutem in declaranda copioſa atque
imperuosa ſanguinis fluxione eſſe poſitam, mode-
ratoribusque ſanguineis fluoribus alia paſſim indi-
nomina, facillime deprehendes b). Quin etiam vi-
deas,

b) Originem enim dicit ἀπὸ τῆς αἱματος νεὶ ἐργάζειαι, quod
imperium & copiam erumpentis ſanguinis denotat; de
quo

de notis haemorrhagias praesagientibus. 9

deas, ab HIPPOCRATE eumque secutis scriptori-
bus saepenumero solo haemorrhagiae vocabulo san-
guinis per narium vias eruptionem singulariter de-
signari c).

§. III.

Atqui vero universa sanguinis copia, quae
humanum corpus permeat, si quidem sanitas perfe-
cta fuerit atque incorrupta, certis quibusdam atque
singulariter fabricatis canalibus continetur, horum
que valida vi per omnem corporis vivi partem agi-
tur; ita tamen, ut sanguini, dum naturalem ser-
vat indolem propriisque solum se coerceri patitur
vasculis, nulla exeundi e corpore naturalis pateat
via d). Eorum enim tenuissimorum tubulorum,
qui oscula habent aut in internis quibusdam cavis
corporis locis hiantia, aut extrinsecus desinentia at-
que patula, genus minime a natura sanguiferum,
sed lymphaticum potius seriferumque esse constitu-

B tum,

quo porro videantur *Io. GORRAE Definition. medic.* p. II.
Edit. Francof. ad Moen. anno 1578. *Anutii FORSYI Oec-
nomia Hippocratis*, pag. 8. Edit. Genev. 1662. & Illustris
*Ger. van SWIETEN Commentar. in Hermanni BOERHAAVE
Aphor. de cognosc. & curandis morbis*, §. 218. pag. 344.
Tom. I.

c) Videbis *Claud. GALENV M in Commentar. I. in Libr. I. Epi-
demior. Hippocratis*, pag. 104. Clasf. III. Edit. septimae Iun-
tar. Venet. 1597.

d) Neque ipsas hic excipiendas volo menstrui profluvii in
feminis vias, ut deinde plenius docebo; licet easdem mul-
ti a praeternaturalium viarum genere sciungere laborent.

10 *Dissertatio inauguralis medica,*

tum, demonstratae apud Anatomicos Physiologos-
que est veritatis e). At vero omnis haemorrhagia,
cuiuscunque fuerit generis, in profluvio sanguinis
consistit (§. II.) conspicuo sensibusque deprehenden-
do. Unde facile apparet, in omni fluore sanguineo,
qui sub aspectum venit, semper aliquid in vasculo-
rum sanguiferorum fabrica mutatum esse oportere:
quod alioquin, ipsis salvis atque non mutatis, ut di-
ctum est modo, nullum omnino est iter, quo san-
guis extillare, nedum copiose atque confertim ef-
fluere & erumpere possit.

§. IV.

Ergo dispiciendum nunc est, quaenam quo-
tuplexque in vasculorum sanguiferorum, aliorum-
ve continuo tractu cum illis cohaerentium, fabrica
contingat mutatio (§. III.), si alicubi in humano cor-
pore sanguis conspicitur quomodo cunque emanans.
Enimvero admodum longius anxiusque repetenda
non sunt definiendorum huius mutationis generum
argumenta. Illi enim, qui a Physiologis sanguinis
per sua vascula circumeuntis motum rationesque,
& ipsam horum canalium strueturam, vim, tra-
ctumque bene sunt edocti, facili intelligent confi-
cientque mecum negotio, duo tantum esse modos,
quorum alteruter cuiuslibet haemorrhagiae, ubi-
cunque in corpore nostro exortae, auctor effector-
que semper existimari. Nempe omnis hu-
iusmo-

e) Conferatur *Io. Fredric. SCHREIBER* in *Element. medicinae physico-mathemat. Praemittendis, Physiologiae Libr. II.*
pag. 273. sq. Lipsiac, 1730.

de notis haemorrhagias praesagientibus. II

iusmodi sanguinea fluxio aut ex ipsis venit vasis
perpetuo vehendo sanguini destinatis, aut ex alius
generis oritur tubulis, sanguiferorum vasorum ne-
xu implicitis, & contra naturae ordinem sanguineo
humore perfusis.

§. V.

Si ad priorem respexeris modum (§. IV.), con-
siderare te merito oportet, abesse omnino a ferenti-
bus sanguinem canalibus omnibus singulisque ostio-
la, extrinsecus aperta; unde fieri non potest, ut vel
guttula sanguinis hinc perdatur, nisi ipsae membra-
nae, ex quibus composita sunt vascula, quomodo
cunque dehiscant. Quando vero posterioris modi
habueris rationem (§. cit.), ex Physiologorum Pa-
thologorumque demonstratis sequitur profecto, ut
eiusmodi tubuli, in emissaria definentes, diametrum
naesti sint priori naturali maiorem amplioremque;
quod alienum, suoque, quem vehunt, crassiores
recipiunt transmittuntque humorem. Ergo hinc
facile per evidentissimos excuti potest consecutio-
nes probatio, in definiendo cuiusvis profluvii san-
guinei genere ortuque semper aut ad *diffissos divul-
sosque canales*, aut ad *divaricatos ampliatosque eos*-
dem atque continuos tubulos vel maxime esse re-
spiciendum. Plurimum itaque nostra refert, ut
porro, quibusnam rationibus hae, quas diximus
modo, ipsorum vasorum affectiones, cum naturali
non convenientes ordine, accident, variosque adeo
sanguinis efficiant fluores, plane lucideque definia-
mus.

B 2

§. VI.

12 *Dissertatio inauguralis medica,*

§. VI.

Haec autem, si priorem illam species originem, ab hiscente vasculo deductam (§. V.), sanguinis profluvia denuo, habita ipsius mutationis in canali quopiam factae ratione, ad duplex referri oportet genus. Ea enim, docente Anatome, fibrarum, quae in membranas collectae coniunctaeque omnium nostri corporis canalium parietes constituent, indoles est atque natura, ut, sicuti ipsae qualicunque modo distentae atque expansae fuerint, certam quandam atque definitam vim iniuriamque, anteaquam rumpantur, perferant sustineantque. Quotiescumque ergo in vasculo quodam adeo vehementer ipsius distenduntur parietes, ut inter fibras, e quarum contextu ortae sunt ambeuentes membranae, tanta saltē oriatur dilatatio, quanta globulo sanguineo sufficit transmittendo, falva tamen neque disrupta fibrarum singularum cohaesione, toties quoque sanguinis orietur profluvium, si haec vasorum mutatio aut in ambitu corporis contigerit, aut in cavis saltē internis locis, quae vias habent ad superficiem corporis pertingentes. Quem effluentis sanguinis modum veteres recentioresque Medici δαρηνον appellarunt f). Quodsi vero a quacunque causa & quibuslibet rationibus ipsa singularium

f) Conferendi sunt hanc in reti Celeb. Herm. GÖRHAUVE in Institut. medic. §. DCCVII. & DCCLXXV. & in Praelectionibus in eisdem Tom. VI. pag. 34. Anutius & OESIVS in Oeconomia Hippocratis pag. 95. Edit. cit. itemque Io. GÖRHAEVUS in Definition. medic. pag. 107. Edit. cit.

larium fibrarum fabrica & cohaesio ita fuerit dissoluta, ut, facto inde novo quodam ostio, sanguis in aspectum prodeat &, plerumque confertim, e corpore expellatur, huic vasorum adfectioni *διαγένεσις* nomen, latius, ut aiunt, sumtum, impetriri solet. Cuius deinde subseciva sunt genera tria: primum, quod *διάρροη*, angustiori significatu notatam, dicunt, si a nimia vi atque expansione interna irruentum humorum vascula dilacerantur; alterum, si a mala atque acri contenti sanguinis indole exeduntur vasorum paries, quod *διάβρωσις* appellant; & tertium denique ab externa qualicunque vi ortum, *vulnerisque* nomine cuivis abunde satis notum g).

§. VII.

At vero posteriorem illam haemorrhagiarum originem, quae in solis minimis vasculis, ut Medici loquuntur, excernentibus atque oscula habentibus locum habet (§. V.), intuenti obscurum esse non potest, quod, quaecunque hac ex caussa suborta fuerint sanguinis profluvia, soli vasorum dilatationi nimiae (§. cit.) & alieni humoris in alienos canales immissioni, (quam *errorem loci* nominare solent Pathologi,) plane sint tribuenda. Hac ergo ratione ex cancellis suis erupturus sanguis primo dilatum vasculi lymphatici atque serosi initium ingreditur, & porro, qui huic connectuntur, minores tubulos urgente quadam vi atque impetu pedetentim init, donec ad extremos omnium horum cana-

B 3 lium

g) Vid. *Herm. Boerhaave* cit. loc. & reliqui citati Auctores.

14. *Dissertatio inauguralis medica,*

lum pervenerit fines, adeoque, qua data est porta, fuerit elapsus. Atque hanc fluxionum sanguinearum generationem ortumque ab omni aevo antiquissimi aequae, ac recentes rei medicae scriptores *αναστομώσεως*, nomine expresserunt b); quod huiusmodi haemorrhagias nunquam omnino excitatum iri intelligebant, nisi ipsae illae fistulæ sanguiferae, cum reliquis minoribus contiguis forasque patentibus, mutua velut inosculatione (quod propitiis auribus Romanis dixerim,) arctissime essent connexae.

§. VIII.

Quaecunque ergo tam externae, quam internae caussae aut summam in vasculis, a sanguiferorum canalium fine usque ad ambitum corporis pertingentibus, osculoque instruictis dilatationem inducent, aut dilacerationem efficiunt, proximae quoque & quas Philosophi appellant, sufficienes omnium, quotquot in humano corpore contingunt, sanguiferorum profluviorum aestimandae erunt rationes; uti ex praedictis plana manifestaque conficitur consecutione. Ergo nos quoque, de modo, quo sanguinis sunt fluores, in praesenti differentes, in has pariter caussas curatius inquirere oportet. Enimvero in omni cuiuscunque vasculi adfectione recte explicanda duo potissimum consideranda esse, multis & idoneis argumentis contendunt Pathologi, nemirum tam ipsius vasis qualemcunque constitutio-

b) Videatur Herm. BOERHAAVE libr. & loc. cit. *Io. GORRAEVS* libr. cit. pag. 35. *Anutius FOESIVS* l. c. pag. 34.

nem sive, ut Philosophorum loquendi mos est, qualitatem, quam liquoris transfluentis vim, indolem atque naturam. Quare nostra quoque interest, ne, in nimia vasorum dilatatione, aequa ac disruptione ad suas rationes exquisite revocanda laboraturi, utriusque huius momenti animadversionem negligamus.

§. IX.

Quae ad tubulos illos exiguos universim (§. VII. VIII.), ut & maiores particulatim atque ~~τομῶς~~ (§. VI.) dilatandos distendendosque faciunt, variae admodum atque diversae caussae, in ipsa canalicium fabrica haerentes, hae sunt: primo laxitas fibrarum, ex quibus parietes vasorum fabricati sunt; tum disruptio aut dissolutio interiorum fibrarum, & hinc robur vasculi diminutum; deinde auctum vasculorum, liquores advehentium, & in minores tubulos a tergo impellentium, itemque ipsius cordis robur; contractio denique propria vasculi, aut compressio externa particularis, praesertim in finibus canaliculorum, quos dicunt, excretiorum, praefens aut proxime praegressa. Perfluentis vero per hos tubulos humoris intuitu dilatatio vasorum vel maxime accidere potest a nimia copia, canalicumque plenitudine, quae *plethora* dici solet; a visciditate & spissitudine liquorum, ultimos tubulorum fines vel aegre permeantium, vel penitus obstruentium; ab aucto humoris, vasculo comprehensi, ambitu, manente tamen eadem massa, quem affectum *rarefactionis* nomine insigniunt Pathologi;

ab

16 *Dissertatio inauguralis medica,*

ab impetuoso motu, per humorem a postica parte irruentem efferto; ab acri denique fluidi indole, interiores membranarum in vasculis internarum fibras erodente, ut adeo, quemadmodum praediximus, coniunctus ipsarum renis imminuat.

§. X.

Atqui enarratae modo (§. IX.) nimiae vasorum dilatationis caussae saepe quoque numero ipsam eorundem canalium inducunt disruptionem atque dissolutionem (§. VI. VIII.). Ipsorum enim canalium fabricam si spectaveris, itidem eosdem deprehendes in lacerationem admodum proclives, si maiorum vasorum, ad minora sanguinem propellentium, vis atque robur nimium fuerint aucta atque intensa (§. IX.); aut si inaequalis particularisque vasculi constrictio compressioque, vel intrinsecus instaque ipsius canalis vi excitata, vel alieno externoque quopiam corpore inducta fuerit, in primis circa minimorum tubulorum fines (§. cit.). His autem disruptorum vasorum caussis addi debent aut nimia debilitas i), aut rigiditas vasculorum insignis, prae-

i) Ne, ut saepe fit, confundantur laxitas debilitasque vasorum, haec facillimae disruptionis, illa dilatationis causa, notari vel maxime meretur, quod in laxis vasculis membranarum ambeantium fibrae elementa habeant ita cohaerentia, ut parva vi possint ipsae fieri longiores; in debilibus contra tubulis elementa adeo parvo nisu inter se cohaereant, ut levi motu divelli dissoluique possint. Conferatur Celeb. Hermanni BOERHAAVE *Aphorismi de cognos-*

praesente adfluentis humoris impetu fortiori vehe-
mentiorique; aut denique mollis cuiusdam partis
corporis nostri violenta ad corpus quoddam durum
atque acutum, hoc est, parva superficie impingens,
allisio. Ex humorum vero, tubulos corporis no-
stri transeuntium, parte, prorsus eadem, quas ex-
posuimus ante (§. cit.) adfectiones atque mutatio-
nes, dummodo constantes, aut etiam magnitudinis
gradu eminentiores fuerint, facile ambeantes vaso-
rum membranas quomodocunque dirumpent at-
que dilacerabunt.

§. XI.

Perlongi autem, ne dicam infiniti, esset labo-
ris, si ad evoluendas porro nunc explicatarum sin-
gularum caussarum, cum dilatationem vasorum ni-
miam, tum dilacerationem efficientium atque pro-
ximarum (§. IX. X.) rationes animus adiiceretur.
Tamen si non obscure intelligimus, huius quo-
que, si suscepta fuerit, operae in declarandis immi-
nentium haemorrhagiarum notis aliquod futurum
esse pretium; quoniam omnis Semiologia in quoli-
bet corporis humani statu a cognitis atque investi-
gatis singularum mutationum observando animad-
versarum caussis, harumque caussis porro erutis,
tanquam gradibus quibusdam, ad quorumcunque

C signo.

cognoscend. & curand. morb. cum Illustris Ger. van SWI-
TEN Commentar. §. 24. & 29. & Ioann. Freder. SCHREIBER
in Element. medic. physic. mathemat. Praemittend. Libr. I.
Cap. I. §. 49. & 109. Edit. cit.

18 *Dissertatio inauguralis medica,* tomus

signorum intelligentiam adscendit: tamen hic consistere placet, ne instituti nostri limites transgressi praecipuam, quam disputamus, materiam iusta atque necessaria fraudemus commentatione. Ergo erit lectorum, ipsarum illarum ante expositarum caussarum (§. cit.) rationes, sicuti necessarium fuerit visum, porro ex accuratiorum Pathologorum repertere scriptis.

C A P V T II.

DE

NOTIS HAEMORRHAGIAS PRAESA-
GENTIBVS SPECIATIM.

§. XII.

Quum praesagientem dicamus Medicum, qui ex mutationibus variis corporis humani, sensuum ope observatis & quomodo cuncte consideratis, certum quendam atque definitum eiusdem corporis statum colligit futurum *k*), omnis autem huius generis mutatio, e qua aliquid futuri colligendo praenoscitur, vel praesens adhuc esse debeat, vel saltem praeterita, nondum tamen praesente ipsa illa, quae praesagitur, mutatione *l*): apertissime ex-

inde

k) Videatur *Io. Freder. SCHREIBER* *Libr. cit. Cap. V. §. 326.*
seq. pag. 125.

l) Pone enim, adesse contrarium: praesens ergo aliquid erit, & simul adhuc futurum; quod tamen uno omnium Philosophorum consensu, per principium, quod vocant, contradictionis, aestimabitur absurdum.

inde sequitur, ut omnes singulaeque eiusmodi mutationes, quas, tanquam caussas proximas, aliae novae mutationes, velut effectus, eodem paene temporis momento insequuntur, quaeque adeo sibi fere, ut Philosophi aiunt, coexistunt, ut, inquam, eiusmodi mutationes ad colligenda quaedam futura nequaquam sint idoneae. Verum enim vero quotidiana satis superque testatur experientia, si ab extrinsecus aequa, ac intrinsecus illata corpori nostro vi qualicunque alieni cuiusdam corporis duri atque acuti sanguiferorum vasculorum quaedam congeries dirupta (§. X.), vulnusque adeo exinde ortum fuerit (§. VI.), tunc eodem temporis puncto fieri sanguinis fluorem. Ergo omnium haemorrhagiarum arte factarum atque violentarum qualia cunque, si qua sunt, signa prognostica impraesentiarum minime ad nos pertinebunt, solummodo earum, quae ab ipsa interna corporis vi atque efficacitate naturali producuntur, praecurrentes nota^s exposituros.

§. XIII.

Si, quae priori Capite recensiimus (§. IV-X.), omnium profluviorum sanguineorum caussae, harumque porro rationes e Pathologorum praceptis repetitae, paullo diligentius considerentur, istarumque singularium & omnium accurata fiat collatio: intellectu haud erit obscurum, aliud quidem earundem esse genus, quarum caussae in universa corporis fabrica haerent, atque adeo ab universalis quadam eiusdem mutatione affectioneque efficiuntur;

20 *Dissertatio inauguralis medica,*

tur; aliud vero genus in mutata illarum singula-
rum partium fabrica, unde dein sanguis eiicitur,
esse situm. Atqui vero, ut supra demonstratum est
(§. I.), omnes omnino caussae effectuum ab ipsis
dependentium significantes sunt notae. Quare hinc
quoque facili efficitur negotio, *duplex notarum, haemorrhagias praesagientium*, constituendum esse ge-
nus: alterum, quod ex *caussis* fluxionum sanguinearum *universalibus*, illarumque caussis, recto or-
dine naturalique, qua semet ipsae exceperunt, se-
rie intellectis, qualescumque in genere praesignifi-
cat haemorrhagias; alterum vero, quod ex *propriis*
atque particularibus, quas dicunt, *singularium cor-
poris nostri partium mutationibus*, ut caussis, eru-
pturos ibidem declarat sanguinis fluores. De utro-
que ergo hoc genere porro disputabimus sigillatim,
&, quae partim praestantissimorum Semiologorum
experiencia constiterunt, partim rationis ope evo-
luta sunt, plenius persequemur.

§. XIV.

Expedituros ergo nos primo *universalium* at-
que imminentia sanguinis profluvia generatim in-
dicantium *notarum* evolutionem, tantum ad illas
singulariter respicere oportet caussas, quae in toto,
quantum quantum est, corpore haerentes, tanta pol-
lent efficacitate, ut sanguinem eliminent expellant-
que. Quo nomine hic praeципue excitari meren-
tur habitus corporis externus vel laxus nimis debi-
lisve, vel rigidus (§. IX. X.), cum intensiori valo-
rum

rum maiorum cordisque robore & contractione coniunctus (§. cit.); summa vasculorum plenitudo, praesertim in iis, quibus natura canales sanguiferos amplos capacissimosque, numero vero pauciores dedit (§. IX.); summa globulorum sanguineorum expansio, quam supra cum Medicis eorundem diximus rarefactionem (§. cit.); & maxime deum auerius vehemensque humorum motus (§. cit.). Ad quae, tanquam inde deductae notae, accedunt temperies corporis sanguineo-cholérica, aut sanguineo-melancholica; constitutio eiusdem florida, agilis, atque facile irritabilis; pulsus arteriarum plenus, durus, inaequalis, is in primis, qui veteribus Medicis undosus vermiculansque dictus est; lotium plerumque tenue; transpiratio magis impedita parciorque; arruum gravitas stuporque frequens; notabilis respirationis difficultas saepenumero cordis palpitationem comitem nocta; somnus inquietus, anxiisque insomniis turbatus; varii spasti ci dolores passim in corpore percepti; denique aut color universi corporis intense rubens, aut e contrario insignis cum levi quodam horrore coniunctus pallor. Quae singula phaenomena, quo magis aucta atque ingravescientia animadvertisuntur, eo propius imminentein, vel eo graviorem qualis cunque partis locique declarant haemorrhagiam.

§. XV.

Quemadmodum vero quocunque sanguinis profluvium, per priores illas generaliores notas

C 3

praesi-

22 *Dissertatio inauguralis medica,*

praesignificatum (§. XIV.), ex certis quibusdam corporis nostri locis erumpat, necesse est: ita fieri quoque non potest, quin, si effluxerit sanguis, graves sufficientesque ad sint rationes, quae has potius definita ex parte, neque ex alia, cruentem effundi iusserunt; quod ne in medicina quidem, uti in omnibus reliquis artibus scientiisque, aliquid sine ratione deprehenditur sufficiente. At vero cuiuslibet sanguinei fluoris proxima & summa causa in facta quadam fabricae corporis nostri, praefertim fistularum sanguiferarum, immutatione sita est (§. III.); omnis vero causa rei a se effectae, & vicissim effecta res caussae est indicium (§. I.): ergo quoque quamlibet sanguinis fluxionem ab illius praefertim partis, qua contingit, immutata fabrica dependere, ipsasque mutationes coniunctim eo, quo semet invicem secutae sunt, ordine perspectas, effectus sui, hoc est, haemorrhagiae notas esse oportet cuiuscunque generis, hinc quoque prognosticas. Quare hoc ex fonte singularium quoque haemorrhagiarum, interna naturae vi, vitali que impetu excitatarum, singularia depromi possunt debentque signa.

§. XVI.

Accurati vero Semiologi interest porro, considerare adhuc circumspetius, utrum tam universi corporis, quam singularium partium, earum praecipue, quae emitunt sanguinem, fabrica iam ab aliis praesentibus morbis quomodo cunque mutata sit,

sit; nec ne? Quodsi enim iam aliqua exinde corporis fabricae acciderit mutatio, ex Physiologorum Pathologorumque assertis apertissime sequitur, ut & earundem partium vis varie sit mutata, ipsarumque actiones secus, ac alias ad leges naturales fieri solet, efficiantur. Atque & ad has rationes omnium morborum, cum acutorum, tum chronicorum ^{m)}, motus, excretiones, solutionesque critice accidentes, exquisite exigi diiudicarique debent, nisi Medicus infinitis erroribus maximisque diiudicationum difficultatibus temere se velit implicari. Ergo huius quoque rei attentionem animadversio nemque exactam nos quoque non omittere decet, de instituendis singularium sanguineorum fluorum praesagiis nunc sollicitos. Neque tamen id volumus, ut absolutam *crisum*, in *haemorrhagias desinentium*, explicationem a nobis impraesentiarum exspectent lectores; quum, qui criticas mutationes qualescumque perspicue atque enodate persecuti sunt stilo, commodi idoneique existent auctores. Sola enim potiorum haemorrhagiarum singularium, naturali internoque instinctu productarum, praesagientia exposuisse signa, satis nunc erit nobis, nostroque vel maxime conveniens instituto.

§. XVII.

Per singularia ergo haemorrhagiarum genera, ut polliciti sumus (§. XVI.), ituri, ne copiosio-

^{rī,}
^{m)} Conferatur Frider. Wilb. SCHEFFLERI *Dissert. de crisi in*
morbis acutis aequi ac chronicis contingente, Hala, 1753.

24 *Dissertatio inauguralis medica,*

ri, quam hae ipsae ferunt pagellae, utamur oratione, illorum solum profluviorum sanguineorum notas, quae e naturalibus praecipua atque maxime usitata esse solent, partim ex diligentissima accuratiorum Semiologorum observatione curiose indagabimus, partim ex ipsa circumspecte eruemus ratione. Cui vero, nisi omnis doctrinae pathologicae ignarissimo, obscurum esse potest atque incognitum, inter *naturalis sanguinis fluxiones*, tam accessionum frequentia, quam effusi cruentis copia permultum ceteras antecellere *narium haemorrhagiam*, *haemoptysin*, *haemorrhoides*, *fluorem mulierum menstruum n.*), *vomitum cruentum*, *sanguinemque mictionem?* Horum ergo singulorum, si imminuerint forte, praenoscendorum quae sint rationes, quae artes, porro ibimus demonstratum. Neque tamen nonnullarum adhuc haemorrhagiuarum, praedictis his insolentius infrequentiusque accidentium, prognosticas plane omittemus significationes, sed earundem potiores brevissime & velut in transcursu, quoad per circumscriptos dissertationulae huius nostrae limites licebit, attingemus.

§. XVIII.

- a) Sed omissum videbis *lochiorum fluorem*, qui a plerisque Pathologis iure meritoque frequentium & consuetarum haemorrhagiuarum classi inseritur. Quodsi vero consideraveris, puerperam in hominum vulneratorum numero omnino esse habendam, intelliges quoque, cur lochiorum futurorum praeflagia ad nostrum non pertinere institutum existimaverimus. Confer §. XII.

§. XVIII.

Sed, proposita nunc universa haemorrhagiarum generatim praenoscendarum ratione (§. XIII-XVII.) singula quoque commodissime poterunt recenseri. Persequamur ergo primo sanguinis e *narribus* profluëtri notas, frequentissimi quippe haemorrhagiarum generis, & acutis praesertim morbis saepenumero *negritas* salubriterque supervenientis. Cuius sanguinei fluoris imminentis notas veteres in primis Medici, ante omnes vero **HIPPOTRATES** atque **GALENVS**, adeo exquisita observarunt attentione, ut non alia sit omnino, quae absolucionibus cognoscatur praesignificationibus, haemorrhagia. Nempe generatim in quoconque morbo eandem proxime futuram sequentia declarant signa: continuus capit is dolor, velut ad nasi radicem pertinens, cervicique simul maxime molestum inferens rigorem; facies turgida & intense rubens; temporum & colli vascula tumida, inflata, vehementi-que pulsu distincta; aures tinnientes atque susurrantes; oculi micantes, turgidi, rubentes, atque *μαργαριτας* habentes *o*), suaque sponte frequentius illacrymantes; nares pruri entes atque ad vellicationem sui irritantes; fauces interdum anginodeae, quas recentiores vocant Medici, sanguineque turgidae;

D deglu-

- o) Haec est illa oculorum adflectio, quae ipsis, sub dolore medianam bulbi partem pungente, incertos lucis splendores & velut fulgura, vario celerique motu tremula, obicit: de qua videatur **GALENVS** *Libr. III. de Crizibus*, Cap. XI. pag. 143. Classis IV. Edit. cit.

26 *Dissertatio inauguralis medica,*

deglutitio exinde redditia difficilior; praecordia angustata atque oppleta, impeditiorque spirandi facultas; hypochondria distenta & inflata; murmura intestinorum frequentia; stricta atque sicca cutis; alvus segnis atque inobsequens; lotium tenue limpидumque; aestus denique sitisque perpetuo urgentes. Praeter haec quoque accedunt noctes insomnes, aut saltem insomniis turbulentis, caedes, incendia, bellum, & quid non tumultuosi offerentibus, inquietatae. Neque demum raro eiusmodi homines, sanguinem e naribus effusuri, animo sibi parum constant p).

§. XIX.

Singulariter autem huiusc haemorrhagiae (§. XVIII.) ex arteriarum pulsu praeiudicari potest divinarique accessio. Scilicet veteres in genere ex observatis arteriis, praecipue temporalibus, magno, duro, validoque & inaequali iectu tangentium manus pulsantibus, nares sanguinem stillaturas praedi-

xerunt
p) Ut paginarum spatio parceremus, singulorum hic expofitorum signorum auctores seorsim atque singulatum hic subicere displicuit. Sed evolunt harum rerum curiosi lectors **HIPPOCRATIS** atque **GALENI** Semiotica scripta, usque conferant, praeter **CELSI** hanc in rem monita, ex recentioribus **Prosperum ALPINUM** in Libro VI. Cap. XIII. de praefagienda vita & morte aegrotantium pag. 597. sq. Edit. Francof. 1601. **Io. Baptistam DONATIVM** in Rei mediceae studio, Stipendio II. Cap. XXXVI. pag. 127. sq. Edit. Francof. 1591. & passim **Io. Conrad. BARCHYSEN** in Collectis medicinae practicae generalis, Amstelod. 1715.

xerunt q). Horum vero industriam in observando adhibitam longe superavit doctus quidam Hispanus Medicus, *Antequerae*, quam latine *Singilium* sive *Anticarium* appellant, in Granateni regno sitae, medicinam faciens, nomine *Franciscus SOLANVS de LV-
QVE*; quippe qui longi plurium annorum obser-
vatione ad adeo certas definitasque leges certissi-
mam futurae narium haemorrhagiae divinationem
redegit, ut etiam, plane supra audientium fidem,
ipsius accessionis tempus ad quatuor pluresve dies
potuerit praesignificare r). Cuius observationis
veritatem deinde plures tam Hispani, quam exteri
Medici, compluribus factis huius rei experimentis
luculenter confirmatam dederunt. Parum ergo le-

D 2

ctoribus

- q) Conferantur auctores not. p) iam a nobis excitati.
r) Ipse quidem auctor exposuit has in libro, quem *Lapidem
lydium* inscripsit, in Hispania edito, cuius deinde com-
pendium ibidem in lucem dedit alias Hispanus, *Emanuel
GUTIERREZ de LOS RIOS*. Sed eadem praecepta postea
eruditissimus quidam Anglus, *Iacobus NIHELL*, ab ipso so-
LANO horum praesagiorum rationes coram edictus, an-
glico sermone plane atque perspicue exposuit, publicique
fecit iuris Londini anno 1741. Qui libellus, ut commu-
nioribus Medicorum usibus esset accommodatior, tandem
opera *Wilhelmi NOORTWYK* latine prodiit, sequenti signa-
tus inscriptione: *Nova raraeque observationses circa va-
riarum crisiūm praedictionem ex pulsū, nullo habito re-
spectu ad signa critica antiquorum; addita sunt monta
quaedam generalia de natura crisiūm. Amstelodami, 1746.*
Nuperrime quoque, nisi fallimur, Vindobonae & Venetiis
hic libellus typis recusus est.

28 *Dissertatio inauguralis medica,*

atribus nostris satisfacturi nobismet ipsi videmur, nisi universas horum praefagiorum rationes hoc, cui maxime convenient, loco summatim recenseamus.

§. XX.

Scilicet exercitatissimus hic vates (§. XIX.) generatim *pulsum* antiquorum *dicrotum*, quem Latini Medici *bis ferentem* dixerunt ^{s)}, absolutum certissime accessurae narium haemorrhagiae testem indicemque aestimavit. Sed, ut adhuc magis definite ipsius testimonio inniti possit Medicus, sequentia singulariter observari iubet *SOLANVS*. Huius generis pulsus, quovis circiter tricesimo arteriae pulsantis i^ctu observabilis, intra quatuor dies nares sanguine perfusum iri denunciat; tertio vero die, si quolibet decimo sexto pulsu fuerit deprehensus. Idem intra duo dies futurum sanguinis e naribus fluorem praeditus, si ad octavum quemlibet pulsus accesserit. Quovis vero quarto, tertio, secundove arteriae i^ctu rediens pulsus dicrotus, viginti quatuor horarum spatio nares ominatur *diuocayous*. Denique si maxima celeritate arteria tangentibⁱ digit^o bis impresserit pulsationis sensum, secundusque i^cetus primum subito exceperit, temporis momento efflucturus iudicatur sanguis. In genere, quo brevioribus pulsuum periodis reddit dicrotus,

eo

¶ Legi de huius pulsus gener^e potest *GALENVS de differenti pulsuum*, in Libr. I. Cap. XVII. pag. 50. Clas. IV. Edit. cit.

de notis haemorrhagias praesagientibus. 29

eo propius instantem praesignificabit narium haemorrhagiam t).

§. XXI.

Neque vero hoc tam mirabile divinationis medicae genus satis esse visum est SOLANO, quin exinde quoque sanguinis per narium meatus exituri copiam iudicando praefinire idem sit ausus. Crebrioribus enim observationibus intellexit, ex ipso vigore, quo altera vice arteria sub pulsu dicroticat, primi ictus impertui accurate collato, exakte definiteque praenosci posse copiam sanguinis efflueturi. Arteria enim, secunda vice tangentis Medicu digitum minori seriens temporis momento, quam priori factum fuerat ictu, parcam pollicetur haemorrhagiam: contraria vero conditio largam atque copiosam. Aequalis vero vigoris pulsationes intra mediocritatis limites sanguinis fluorem contentum iri declarant. Verum enim vero sanguine semel emissio si eiusdem indolis pulsu arteria micare perrexerit, aut inceperit denuo, ad easdem, quae nunc expositae sunt, rationes sanguinis per nares fluxio omnino erit exspectanda. Denique etiam, auctore eodem SOLANO, frequentis fuit observationis, quum in altero carpo evidentius fortiusque pulsantem arteriam deprehendit explorator Medicus, plerumque ex eiusdem lateris nare postea maiori copia sanguinem esse effusum u).

D 3

§. XXII.

2) Conferatur Liber Solaniarum praedictionum not. r) citatus, pag. I. sq. Edit. Amstelodamensi latinae ibidem citat.

u) Videatur idem liber pag. 3. sq.

30 *Dissertatio inauguralis medica,*

§. XXII.

Sed supersunt aliqua singularia venturae *narium haemorrhagiae* praesagia, in febribus haud temere negligenda. Nempe in leviori atque non furesta febre generatim a visus imbecillitate subito oborta, & vibrante velut splendore oculis obiecto, a praecordiorum distensione, obscueroque ventriculi dolore, sanguinis e naribus fluorem, praesertim in iuvenibus, praedici, passim adfirmat **HIPPONCRATES** x). Idem in intermittentibus febribus tremulas manus ad haemorrhagiae narium futurae notas refert y). Quae sit autem eiusdem profluvii sanguinei praesignificatio in continuis acutisque febribus, summatim eleganti, ut solebat, stilo consignavit **CELSVS**: *Ante febres, inquiens z), si caput grave est, aut ex somno oculi caligant, aut frequentia sternutamenta sunt, circa caput aliquis pituitae impetus timeri potest; si sanguis aut calor abundat, proximum est, ut aliqua parte (capitis) profluvium sanguinis fiat.* Alias quasdam huius criticae solutio-
nis, ad has febres accessoriae, notas definiit **Cous.** Namque eos, qui, dum inhorruerunt, critico sudore perfunduntur, & redeunte horrore, postridie admodum pervigiles sunt, narium haemorrhagiam iubet

x) In *Libro Praenotion. & de morbis popularibus* Libr. I. Sect. II. §. 7. & *Praedictor.* Libr. II. §. 29. Edit. Opp. cit.

y) In *Libro de ratione viettus in morbis acutis*, Sect. IV. pag. 385. Edit. cit.

z) *Libr. II. Cap. VII.* pag. 58. Edit. Almeloveen. Lugd. Bat. 1746.

bet exspectare a). Eodem sanguinis fluxu se levatum iri, illos quoque sperare oportet, qui cum cappitis gravitate, distentisque praecordiis, & perturbata oculorum acie surdastrri evadunt b). Ancipitis autem, eodem auctore, est praesagii, si in febre ardente aures tinniverint, hebetioresque facti fuerint oculi, gravitatisque ad nares sensus accesserit, aut minimae spontaneae lacrymae effusae fuerint; siquidem exinde aut mentis emotio, aut sanguinis e naribus profluvium praesagitur c).

§. XXIII.

Venitur nunc ad illam satis ominosam sanguinis electionem, quae fit ex *pulmonibus*, vulgo *Hæmoptysin* dictam (§. XVII.), ex singularibus quibusdam propriisque indicis praenoscendam. Cuius ex praecedentibus quibusdam notis accurate praesignificandae mireris adeo incuriosos, ne dicam negligentes fuisse veteres illos ceteroquin perspicacissimos Semiologos, ut dignoscendi solum praesentis huius profluvii sanguinei, praesagiendorumque inde accidentium malorum signa stilo notasse habuerint satis. Verum enim vero in tam frequenti, tamque formidoloso malo fieri non potuit, ut ipsae il-

iae,

a) *HIPPocrates in Coac. Praenot.* §. 24. pag. 120. Sect. II.
& in *Praedict. Libr. I.* §. 149. pag. 80. Sect. eiusd.

b) *Idem in Coac. Praenot.* §. 195. pag. 149. & in *Praedict. Libr. I.* §. 147. pag. 80.

c) *Idem in Coac. Praenot.* §. 194. *Praedict. Libr. I.* §. 18. &
de morbis popularibus *Libr. I.* *Status III.* §. 6. pag. 956.
Sect. VII.

32 *Dissertatio inauguralis medica,*

iae, quae tanquam signa antecedunt, varii generis adfectiones recentiorum Medicorum effugerent animadversionem. Inde ergo compertum habemus, generatim iisdem, quibus puerili aetate nares sanguinem frequentius destillarunt, aut puellis tardantes cessantesve menses habentibus, praesertim si accesserit habitus corporis gracilis, temperamentum sanguineo-melancholicum, cholericо-melanchoicum, vel cholericо-sanguineum, pectus paullo depresso angustiusque, abdomen a vita sedentaria, vestitu, &c. nimis constrictum atque coarctatum, & aeris denique subtilior temperies, iis, inquam, omnibus singulisque facilime potissimumque pulmones in sanguinis dissolvi electionem.

§. XXIV.

Propius vero imminentis haemoptyseos (§. XXIII.) indicia sunt insignes extremarum corporis nostri partium constrictiones, rigores, ut etiam pili horreant, pallores, sanguinem ad interiora propellentes, spirandi angustia, anxiae pectoris oppletio-
ni, ut Medici loquuntur, iunctae, dolores thoracis, scapularum, hypochondriorumque spastici, aliquique pulmonum subito & velut punetim illati, gravis atque temulenta capitis adfectio, ventriculi & reliqua-
rum, quas primas vocamus, viarum distensiones, tussis parva, secca, sonora atque clangorem edens d). Tandem, quum proxime instat sanguinis eruptio, profun-

d) Conferatur Io. Guilielmi BAVMERI *Disserr. inauguralis de Haemoptoe, §. L-LX.* Halae, 1748.

profundior in pectore renis & pruriginosa in universo asperae arteriae tractu percipitur titillatio. Singulariter autem in puellis, quae ob menses suppressos sanguinem reiiciebant, aliquoties ante haemoptyseos accessionem peculiarem quendam naufragium, neque alias in ipsis observabilem, ore emitte odorem deprehendi.

§. XXV.

Quod ex vasis ad *anum* positis sanguinis sit profluvium, *ἀποέριθρα* Graeci nominant (§. XVII.), non tantum sanitatis tuendae, sed & variorum morborum utriusque tam acuti, quam chronici generis, solvendorum caussa, a natura saepenumero excitatum, multis omnino iisque satis luculentis indiciis praenunciatur. Cui enim non dicta sunt in Medicorum scholis multum celebrata molimina haemorrhoidalia? Atqui haec ipsa, quum sanguineum hunc fluorem efficere conentur, quodammodo ut caussae huiusc haemorrhagiae sunt existimanda, adeoque etiam inter signa eandem praesagientia locum merentur (§. I.). In genere autem **HIPPOCRATES** atque **GALENVS** dolentes lumbos, qui coniunctos habent oris ventriculi, hoc est, cardialgicos dolores, futurarum haemorrhoidum testes aestimarunt ^{e)}. Neque temere doctiores quidam Arabum Medici continuum & fere intolerabilem ani-

E pruri-

^{e)} Vid. **HIPPOCRATES** *Praedict. Libr. I.* §. 130. & *Coac. Prae-not.* §. 312. Edit. cit. & **GALENVS** in *Comment. III. in Libr. I. HIPPOCRATIS* pag. 185. Classis IV. Edit. cit.

34 *Dissertatio inauguralis medica,*

pruritum, nisi forte ab ascaridibus excitatus sit, futuram haemorrhoidalem indicare fluxionem, adseverarunt f).

§. XXVI.

In primis vero *nifus* istos *haemorrhoidales*, effluerum ex ani vasculis sanguinem praenunciantes (§. XXV.), in aegrotis hoc, quicquid est mali, patientibus declarant frequentes & ~~tenaciam~~ sanguinis congestiones, doloresque tendentes, spastici, vellucantes, colicique, omnibus atque singulis istis partibus, quae venae portarum quomodo cunque conuentunt, maxime infesti. Cuius rei intuitu ventriculus atque intestina, hepar, lien, mesenterium, viscera lotio separando ad servandoque destinata, & in feminis uterus, itemque hypochondria, lumbi, sacrumque, quod appellant, os vehementi plerumque adficiuntur cruciatu. Interdum quoque aegroti in ima intestini recti parte velut durum quemadmodum nucleus infixum sentiunt, difficilior em huius singularis profluvii sanguinei successum exinde praeципientes cognitione. Rariori quoque, neque tamen plane insolenti sit exemplo, ut febres synochae aliaeque inflammatoriae haemorrhoidalii adventitio solvantur fluore; cuius imminentis omina, praeter haec tenus recensita, esse solent intensior per spinae dorsalis tractum observabilis aestus, urina parce & sine coctione, quam Medici nominant, emissâ, alvus inobsequens, & partium denique extremarum contractio-

f) RHASIS ad Almanforem Libr. IV. Cap. VIII. & HALY Theoric. Libr. X. Cap. III.

de notis haemorrhagias praesagientibus. 35

strictiones, rigoresque cum pilorum horroribus coniuncti, per vices accidentes.

§. XXVII.

Quibus vero signis adfuturus *sanguineus muliebrium fluor menstruus* (§. XVII.) percipi possit atque praeonsci, paucis generatim declarat HIPPOCRATES: *aurium sonitus*, dicens g), *fluxus sanguineos indicat & muliebria eruptura, veluti etiam, si ad spinam iunctim aeftus sequatur.* *Enimvero puellarum nuper demum prima catamenia passarum, mollicularum tenerarumque, & sensibili irritabilique corpore praeditarum, ac feminarum, saepius iam ex muliebribus purgatarum, robustiorum firmiorumque status non est idem.* Quippe has sanguis, per pudenda loca exiturus, saepenumero nullis plane variorum adfectuum turbis praegressis infestat: illis vero contra haud raro pluimma atque gravia mala, dum sanguis profluvium minatur, incumbunt. Anteaquam enim sanguis erumpit, ipsis horrores accidunt, & lassitudines, & capitis gravitates & colli dolores b). Aliis oculi rubent, turgent, & lacrymas stillant; aliis faciei color pallidus fit, & tantum non luridus, aliis e contrario solito fit rubicundior; spiritus anguste difficulterque ducitur; mammae

E 2

intu-

g) In *Coacis Praenotion.* Conferatur Excellentissimi Io. Ernst. HEBENSTREIT *Programma de haemorrhagis criticis*, pag. 11. not. n) Lips. 1749.

b) Videbis Iodoci LOMMII *Observation. medicinal.* pag. 273. Edit. Francofurt. & Lips. 1688.

36 *Dissertatio inauguralis medica,*

intumescunt & velut nodosae evadunt. Accedunt tensiones, pressiones, motusque in abdomine, praecipue in uteri sinusque pudendi regione, cardialgici, colici, spastici, torminosi, immo interdum convellentes. Quin etiam percipias in quibusdam puellis iuvenibus atque succulentis periodicum oris foetorem & per paucos tantum dies observabilem, maxime instantia catamenia praefagientem *i*); quod signum iam veteris fuisse observationis, illa antiqui Poëtae innuere videntur, dicentis *k*):

*Os olet, impuram noli tractare puellam,
A lecto surgas ne sanguinolentus amator.*

§. XXVIII.

Quod vero rarius apud nos versus septentriōnem magis fitos, frequentius apud illos, qui meridiem proprius spectant, fieri solet, ut emissō per uteri meatus sanguine febres in feminis iudicentur atque solvantur, non sine singularibus quibusdam indiciis *προδημοις* contingit. Tametsi enim in his quoque eadem ipsae adesse deprehenduntur notae, quae generatim futuros praenunciant menses (§. XXVII.): adiecit tamen iisdem **HIPPOTRATES I**) tensiones, aestus, ardoresque partium ad dorsi

i) De quo phaenomeno conferendas sunt *Illustris PRAESIDIS* *Dissert. de ore, ut signo*, §. VIII. Halae, 1752. & *Dissert. de osfactus ad capienda signa usi*, §. XX. Ibid. eodem anno.

k) In *Anthologia variorum epigrammatum*.

I) Cuius & **CALENTI** praedictiones hoc spectantes coniunctim

dorsi spinam sitarum , itemque cervicis dolores & insignem universi corporis lassitudinem ; a quibus idem proditura muliebria profluvia portendi atque praesignificari adseverat . Quibus vero signis haud incongrue ea debent adiungi , quae paulo ante (§. XXVI.) de haemorrhoidum febris supervenientium notis prognosticis a nobis disputata sunt .

§. XXIX.

Supersunt infrequentiora quaedam prioribus haemorrhagiarum genera , *vomitus* atque *mictus cruentus* (§. XVII.), ex singularibus , quas habent , notis praenoscenda . Quippe *vomitum* reiectum iri sanguinem praefagiunt ipsa praecordia , quo propius instat *vomitus* , eo magis angustata , tensa atque pressa , cum suspiriis alte tractis ; quae statim subsequuntur spasticae hypochondrii sinistri coartationes intervallatae , vertigines , cardialgiae , animi desectiones , nec raro deliramenta . Tum succedit intolerabilis paene nausea , vehementissimi ad vomendum conatus mater , quae demum in instanti temporis momento sanguinis reiectionem nunciat futuram . Inter haec siccus suppressusque est venter , & lotii quoque mingitur parva atque cruda portio . Ut eiusdem impeditionem difficilioremque emissionem , saepius his sub affectibus adventitiam , aliaque , huic quoque malo supervenientia , generalia haemorrhagiarum

E 3

giarum

Etiam exhibuit *Prosper ALPINVS* in Libr. *de praesagienda vita & morte aegrotantium* , Libr. VI. Cap. XIV. pag. 610. seq. Edit. supra iam citat.

38 *Dissertatio inauguralis medica,*

giarum futurarum signa, quorum iam supra lucu-
lenta facta est mentio (§. XIV. XV.), taceamus.

§. XXX.

Tandem, quae imminentem sanguinis e *vesica*
fluorem declarant, expedienda sunt signa (§. XVII.).
Quandoquidem vero, ut Pathologi docent, admo-
dum diversa cruentus est origo; dum alius
quidem est spontaneus, alius vero violentus, atque
vel a calculo asperiore, vel a venere nimia, vel a ca-
lidioribus acrioribusque diureticis, vel ab externa
quoque qualicunque iniuria inductus: facile exin-
de colligi potest, si priori Capite disputata conseran-
tur, utriusque generis diversa quoque fore praefas-
gia. Atque quod ad illam, qua sponte mingitur
fanguis, adfectionem attinet, plerumque illa inordi-
natos fluxus, aut saltē conatus haemorrhoidales
habet duces atque praenuncios, cum doloribus qui-
busdam exiguis spasticis, lumbos, inguina & pe-
cten occupantibus, alvi segnitie, universique cor-
poris torpore complicatos; saepe tamen numero
sine his quoque incommodis velut tacite accedit.
Qui autem violentis a caussis e *vesica* fertur sanguis,
praesagitur atque praesignificatur ab eiusdem gene-
ris doloribus, sed longe gravioribus acerbioribus
que; qui, si cruor simul adfuerit intra vesicam
concretus atque grumosus, comites habere solent ani-
mae deliquium, spirationem exiguum, pulsus arte-
riarum obscurum, parvum, frequenterque, sudore
rem frigidum, insignem nauseam, animi abiectionem,

de notis haemorrhagias praesagientibus. 39

nem, corporis imbecillitatem, pallorem, extremarumque partium horrorem m).

§. XXXI.

Atque hic, expositis nunc notis potiora haemorrhagiārum genera praesagientibus (§. XVIII-XXX.), dicendorum finis fieri potuisset, nisi adhuc *insolentiorum* quorundam *profluviorum sanguineorum*, naturali internoque corporis impetu excitatorum, praesignificantia indicia leviter & quasi paterentes attingere vellemus. Quorum quum infinitus omnino est numerus, aliquot tantummodo exempla, quae ipsi cognovimus observando, adiicemus. Catamenia insolitis saepenumero elabi meatibus, notum est, quam quod notissimum. Cuius generis menstruum fluorem hic loci in virgine octo-decim annorum animadvertisimus, quovis mense vertente ex fissis digitorum apicibus copiose destillantem: cuius mox futuram accessionem paucis diebus ante admodum acerbi brachiorum rheumatismi & ipse levis quidam digitorum tumor ruborque, cum pruritu & torpore coniunctus, singulis mensibus indicabant. Aliam novimus feminam, duo & triginta annos natam, cui, quum prima vice ventrem ferret, prioribus graviditatis mensibus bis per mammarum papillas menstruus profluxit sanguis, qui paullo ante has ipsas partes multum turgidas, extensas, & ad levissimum tactum valde dolentes effecerat,

m) Videis Iodor. tomus Observat: medicinal. pag. 248.
Edit. cit.

40 *Dissertatio inauguralis medica, &c.*

fecerat, adeoque sui adventus impreseferat praefessionem. Finem denique huic dissertationi nostrae imponat exemplum viri cuiusdam quinquagenarii, olim superfluo sanguine per ani vascula singulis paene mensibus liberati, nunc vero circiter duobus abhinc annis hoc naturae beneficio, nescio quibus de causis, orbat: ex quo tempore ipsi venosi in dextro pede canales hinc inde plurimum intumuerunt, copiososque effecerunt varices, qui saepenumero, post excitatos aliquot dierum spatio vehementissimos dolores rheumaticos arthriticosque, tandem rupti atque hiantes sanguinem lentum nigricantemque plorant. Unde ipse, quotiescumque his laborare cruciatibus incipit, toties de futuro isto singulari sanguinis profluvio certus est. Cuius generis notarum, insolentes haemorrhagias praefagentium, plura specimina facile ex iis repeti poterunt scriptoribus, qui generatim varias morborum historias, accurata observatione cognitas, stilo consignarunt. Quare ad eorundem scriptra benevolos lectores remissos, ipsisque nos, praesentesque nostros conatus litterarios de meliori volumus commendatos.

T A N T V M .



01 A 6530




W018404 12





Farbkarte #13



TATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**NOTIS
MORRHAGIAS
AESAGIENTIBVS**

QVAM
IVINI NVMINIS AVSPICIIS
ET
MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
P R A E S I D E
I, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
REA ELIA BVCHNERO
RI ROMANI IMPERII NOBILI,
O PRUSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
OSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
S ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

GRADV DOCTORIS
MEDICINA HONORIEVS ET PRIVILEGIIS
GITIMO MODO IMPETRANDIS,
D. XXV. IVNII A. S. R. C¹CCCLV.
MA REGIA FRIDERICIANA
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
COS CONRADVS LVTGERT
VENSBERGA - GVESTPHALVS.
MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.